Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

400. De familia monasterium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

vis communi ſententia eſt decretum ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem, ſuffraganei autem illorum exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocunque de familia Eccleſiæ utilis aliquis inventus eſt ordinandus, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus & omni clero ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus eccleſiaſticos promoveatur.

Burchard. lib. 2. c. 42. Ivo par. 6. c. 153.

De familiis monaſteriorum.

CCCC. Similiter quoque de his agendum eſt quos laici de familia Eccleſiarum ad ſacros ordines promovere voluerint. Sed & de his quos præpoſiti Canonicorum aut monachorum ordinandos expetierint eadem forma ſervanda eſt.

Lib. 1. Capitular. c. 88.

Exemplar libertatis ſuprà notatum.

CCCCI. Auctoritas eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & majeſtas regia canonicæ religioni aſſenſum præbet, ut quemcunque ad ſacros ordines ex familia propria promovere Eccleſia quæque delegerit, in præſentia ſacerdotum, Canonicorum, ſimul & nobilium laicorum, ejus cui ſubjecta eſt ſubſcriptione ſub libertatis teſtamento ſollemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Epiſcopus, vel Abbas, vel quilibet alius, annuente Chriſto ſanctæ illius Eccleſiæ rector quendam Eccleſiæ noſtræ famulum nomine illum

Burchard. lib. 2 c. 26. Ivo par. 6. c. 127. Vide to. 2. rer Alam. G l laſti pag. 37. c. 7.